

sione, et tentione, seu comprehensione, quatenus sic fit tenens, et adherens Deo, quod unus spiritus cum eo est.

XIII. Secunda vero pars conclusionis, quod dotes entitative sint habitus, non actus, seu operationes, est contra Vazquez, hic disp. xvii, cap. ii; Montesinos hic q. iv, a. iii, disp. vi, q. vi, et alios, qui censent esse actus: quia explicantur nomine actuum, scilicet visionis, delectationis, etc. sicut etiam explicat S. Thomas aut etiam quia habitus solum sunt duo, scilicet lumen gloriæ, et charitas, dotes vero sunt tres.

XIV. Nihilominus adeo expressa est in hac parte sententia D. Thomæ, ut negari non possit ipsum tenere quod dotes entitative sunt habitus, et non operationes. Dicit enim sic citata quæstione xcv, art. ii: « Dicendum est quod dos, et beatitudo etiam realiter differunt, ut beatitudo dicatur ipsa operatio perfecta, qua anima Deo coniungitur, sed dotes dicantur habitus, vel dispositiones, vel quæcumque aliæ qualitates, quæ ad huiusmodi perfectam operationem ordinantur. » Et licet nomine actuum, scilicet visionis, et delectationis eas nominet, dicit tamen ibidem solutione ad tertium, ut supra retulimus: « Quod visio accepta actualiter, id est, pro ipso actu visionis, non est dos, sed ipsa beatitudo; accepta autem habitualiter, id est, pro habitu, a quo talis operatio elicitur, id est, pro ipsa gloriæ claritate, qua anima illustratur ad videndum Deum, sic est dos. » Et licet sint solum duo habitus, lumen gloriæ, et charitas, dicit tamen ibidem art. v ad tertium: « Quod dilectio, et visio diversos habitus nominant, quorum unus pertinet ad intellectum, alter vero ad affectum; sed comprehensio, vel fruitio secundum quod ponitur pro comprehensione, non importat alium habitum ab illis duo-

bus, etc. » Ubi licet habitus sint duo, et dotes sint tres, tamen unum ex illis pro duabus dotibus substitui, ita quod non sit tertius habitus distinctus, docet. Manifestum ergo est D. Thomam non in operationibus ponere dotes, sed in habitibus.

XV. Et ratio hujus deducitur ex eo, quod dos non est ipsum vinculum, vel consummatio matrimonii, aut aliquid consecutum ex consummatione, sed aliquid antecedens quasi habitans, et ornans sponsam, ut jungatur sponso, et traducatur in domum ejus. Consummatio autem matrimonii, et quæ sequuntur post consummationem supponunt traductionem sponsæ in domum sponsi, et quod sit sub ejus potestate, et consequenter supponunt dotem. Ergo operatio ipsa beatitudinis, quæ est visio, et operatio consecuta post visionem, quæ est dilectio, et fruitio, non possunt convenienter nomine dotis accipi. Nam visio est ipsa consummata assecutio finis, et conjunctio ad sponsum, fruitio vero, et dilectio, et tentio sunt operationes post consummationem secutæ. Nec potest dici, quod visio, quæ est dos, est alia operatio a visione quæ est assecutio finis, et formalis beatitudo; et similiter quod delectatio, et comprehensio sunt aliæ operationes a dilectione, et fruitione beatifica. Contra enim est; tum, quia illa visio, quæ ponitur dos, est circa Deum, et delectatio, seu fruitio, quæ est dos, est circa Deum in se. Nulla autem alia visio, et delectatio datur circa Deum in se, nisi illa visio, quæ est beatifica, et fruitio beatifica, nec aliæ operationes explicari possunt, quid sint. Tum, quia ante visionem, et delectationem beatificam non apparet, quæ alia delectatio, et visio detur, quæ sit dos, et non sit beatitudo. Si autem beatitudinem consequuntur, et supponunt, a fortiori

supponunt dotem: quia hæc datur antecedenter ad consummationem matrimonii, ut habitans ad ipsam, et disponens ad huiusmodi conjunctionem, ut docet S. Thomas dicta quæstione xcv, art. ii ad secundum.

XVI. Circa tertiam partem conclusionis, in qua explicatur quomodo habitus illi induant rationem dotis, scilicet secundum quasdam connotationes, est advertendum, quod tam illi, qui ponunt dotes in actibus, quam qui in habitibus, non absolute in illis eas constituunt, sed sub quibusdam connotationibus, eo quod actus visionis absolute sumptus est ipsa beatitudo, et consummatio matrimonii, non dos ad illam; et ipse habitus luminis, ut eliciens visionem præcise est virtus operativa illius conjunctionis, et consummativa matrimonii, non dos disponens, et ornans ad matrimonium. Nullus autem nisi ridicule assignare potest pro dote, aut ipsam consummationem matrimonii, aut virtutem effectivam illius. Et sic intendunt omnes explicare dotes in istis actibus, vel habitibus penes quasdam connotationes, seu habitudines, eo quod D. Thomas in hac prima secundæ, q. iv, a. iii ad tertium, dicit quod comprehensio non est aliqua operatio præter visionem, sed quædam habitudo ad finem habitum. Eadem autem ratio est de comprehensione, et de aliis dotibus. Ubi doctor sanctus videtur constituere comprehensionem non in habitu, sed in operatione, dicens, non esse aliam præter visionem, quod est supponere quod fit operatio, et addit, quod est habitudo quædam ad finem jam habitum, quod pertinet ad connotationem ejus. Nec oportet esse habitum propter permanentiam, quæ requiritur ad dotem, quia etiam operationes illæ permanentes sunt. Explicant autem aliqui hanc habitudinem, et connotatio-

nem per hoc, quod visio, et fruitio in nobis dicantur dotes, quatenus succedunt, et dantur post virtutes theologales hujus vitæ, quæ sunt fides et spes. Et ideo in Christo non habent rationem dotis, quia in eo non successerunt fidei et spei. Sed quia D. Thomas explicavit hanc relationem per ordinem ad finem jam habitum, non per ordinem ad virtutes theologales relictas in hac vita: ideo alii explicant hanc habitudinem per ordinem ad Deum præsentem, quatenus voluntas ad illum ut præsentem fertur, et per intellectum, quasi per manum eum tenet relatione habita ad Deum sic visum, et præsentem.

XVII. Nihilominus nos in habitu luminis gloriæ, et charitatis constituimus istas dotes, quatenus fundant relationes illas, et connotant effectus quosdam, quos relinquunt in potentiis quasi antecedenter ad illas operationes, ut mox explicabimus. Nec D. Thomas dixit comprehensionem esse formaliter, et entitative operationem, sed non esse aliquam operationem præter visionem. Ex quo non insinuat quod sit ipsa visio formaliter, sed quod connotet illam, ut terminum, ad quem refertur. Subdit enim doctor sanctus: « Quod ipsa visio objectum comprehensionis est, sicut res ipsa visa. » Si objectum comprehensionis est; ergo non est comprehensio formaliter ipsa visio, et alias non est aliqua operatio, præter visionem secundum D. Thomam: ergo nulla operatio formaliter est, sed habitus. Non autem nos ponimus dotem esse habitum propter solam permanentiam, sed quia habitus antecedit, et disponit ad operationem, et dos ad consummationem matrimonii. Dos etiam magis nominat possessionem, et facultates, quam operationem, seu actionem. Unde melius servatur analogia in dote si

ad habitum referatur, quam si ad operationem.

XVIII. In his ergo habitibus consideramus duplicem rationem, seu formalitatem. Primo, quod sint principia eliciendi operationes, quæ vel sunt consummatio beatitudinis, vel ad illam sequuntur. Et sic non induunt rationem dotis magis, quam ipsa consummatio matrimonii. Secundo, quod elevant animam ad quemdam statum altiorem, et dissimilem a statu viæ, ratione cujus non possunt amplius habere imperfectiones hujus vitæ, et quatenus remouent ab isto statu, et ponunt in statu habendi superiores perfectiones, induunt rationem dotis, id est, ornatus, et dispositionis, et habilitationis sponsæ ad illas nuptias divinas, verbi gratia lumen gloriæ, non solum habet munus eliciendi visionem Dei, sed etiam disponendi intellectum ad recipiendam divinam essentiam loco speciei, et clarificandum intellectum, quod non sit capax ullius obscuritatis et fidei, sed solum evidentiae, et claritatis, et hæc vocatur visio habitualiter, et per modum dotis, quatenus ex vi illius luminis videt summum visibile, et non remanet intellectus in statu ullius obscuritatis, et imperfectionis, juxta illud Gregorii: « Quid est quod non videant, qui videntem omnia vident: » Et hic est ornatus Hierusalem descendens de cælo, scilicet, quod habet claritatem Dei, et lumen ejus simile lapidi pretioso, quia totus intellectus est in statu clarificationis, et evidentiae, et visionis, nec est jam locus fidei, et opinionibus, et phantasmatis, etc. Similiter comprehensio quatenus est dos dicit habitum charitatis, non elicientem amorem, sed ita complectens summum arduum quod est Deus, quod est in statu nihil sperandi, sed omnia possidendi, quæ voluerit; ethic est status comprehensoris, ut hoc po-

nitur excludit statum viatoris, qui est status contingentiae, et lubricitatis, et spei, et timoris: *Quia jam non erit amplius luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quia priora transierunt*, Apocalyps. XXI. Ille ergo status, quo transeunt priora, et excluditur omnis dolor, est status comprehensoris, seu tentio pro statu, non pro actu.

XIX. Ibi ergo ita voluntas tenet, et comprehendit desiderabile suum, et summum desiderabile, quod est Deus, quod non amplius est in statu contingenter aliquid acquirendi, et volendi, sed cum summa securitate habendi, et possidendi, quia tunc gaudium nostrum nemo tollet a nobis, Joann. XVI: et iterum Isai. XL: *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assumunt pennas, ut aquilæ volabunt, et non deficient*; quia videlicet loco spei contingentiam habentis ex parte nostri, mutabitur fortitudo, quæ in nullo quod volet, deficient, consequenti enim tam arduum objectum, sicut est Deus, et tenenti illum, quid remanebit difficile? Sicut dictum est ad Jacob, Genes. XXXII: *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* Denique, delectatio, quæ est dos designat statum, quem consequitur homo ex habitu charitatis, ut fruitivæ Dei, ita quod non potest ulla ei accidere tristitia, sed est in statu plenæ voluptatis, et delectationis: *Quia torrente voluptatis potabuntur*: Psal. XXXV: *Et auferet Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor*, Apocal. XXI. Igitur habitus fruendi Deo ponens animam in tali statu, quod ex ordine ad dulcedinem Dei, quo frui debet, nihil sit, quod non reddatur ei voluptuosum, et delectabile, est habere delectationem pro dote, id est, statum habendi in omnibus ex fruitione Dei voluptatem,

et vivendi sine ullo dolore, et timore, juxta quod promittitur, Proverb. I: *Qui me audierit absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, timore malorum sublato*. Igitur non delectatio, et fruitio Dei in se præcise, sed status fruendi in omnibus (sicut dicitur Ecclesiast. XXIV: *Quod in omnibus requiem quæsi, seu acquisivi*) et in nullo habendi timorem, et dolorem ex fruitione Dei, sicut status existendi in comprehensione, non solius Dei in se, sed consecutione rerum omnium, non in contingentia sperandi, est dos comprehensionis: et status existendi in claritate, et evidentia, seu visione, non solius Dei in se, sed omnium, quæ cognoscit, est dos visionis, quasi dos, et facultas videndi in claritate sine obscuritate aliqua, et impedimentis phantasmatum; et dos seu facultas assequendi omnia ex tentione Dei sine anxietate perdendi aliquid; et dos seu facultas delectandi de omnibus ex fruitione, et delectatione Dei, et de nullo dolendi, tristandi, vel timendi, sunt tres dotes animæ, et facultates opulentissimæ, quibus anima dotatur a Patre luminum, sicut si aliqua magna domina assignat pro dote sua status aliquos, seu possessiones terrarum, quæ vocantur status; sic anima beata quasi regina, quæ adstat a dextris, illos tres status potentiarum suarum, quibus vestitur, quasi in vestitu deaurato, pro dote assignat viro suo; et rectius attribuuntur dotes istæ, et facultates habitibus, quam actibus.

XX. Quæ doctrina, et explicatio clare elicitur ex D. Thoma quæstione illa xcv citata, art. v ad tertium, ubi inquit: « Quod comprehensio, seu fruitio, secundum quod ponitur pro comprehensione, non importat alium habitum ab illis duobus; sed importat remotionem omnium impedimentorum, ex quibus

efficiebatur, ut non posset mens Deo quasi præsentialiter conjungi. Et hoc quidem fit per hoc quod ipse habitus gloriæ animam ab omni defectu liberat, sicut quod facit eam sufficientem ad cognoscendum sine phantasmatis, et ad prædominandum corpori, et ad alia hujusmodi, per quæ excludentur impedimenta, quibus fit, ut nunc peregrinemur a Domino. » Ita D. Thomas. Ex cujus verbis apertissime confirmatur nostra explicatio, et sententia, quomodo scilicet habitus luminis gloriæ, et habitus charitatis non absolute, ut etiam habentur in via, sed ut ab illo fortificati, induant rationem dotis, in quantum ex illo resultant prædicti effectus, quibus anima ponitur in statu excludente imperfectiones hujus vitæ, et accipit ornamenta illa, et facultates, seu dotes maximas, quas numeravimus, per quas caret omni obscuritate, qualis provenit ex phantasmatis, et est in plena claritate; ideoque dicitur vestita vestitu deaurato, splendens scilicet, et claro, seu quod habet claritatem Dei, et lumen simile jaspidi; et ulterius prædominatur corpori, ut non impediatur in assequendo Deum, et habendo statum comprehendendi, et assequendi facile quidquid velit: *Quia perfruetur timore malorum sublato*, Proverb. I. Et similiter nihil triste, et durum patiendi, sed fruendi omni bono, et delectabiliter in omnibus vivendi ex fruitione de Deo: *Quia torrente voluptatis potabuntur*, Psalm. XXXV. Isti effectus, seu connotationes, et respectus orti ex illo habitu gloriæ, prout liberat ab omni defectu, constituunt ipsum, et habitum charitatis in ratione, et statu amplissimæ dotis.